

05

A

617









9  
Q. D. B. V.

De eo, quod licitum  
est Subditis in causâ op-  
pressæ Religionis,

EX POLITICIS,

*Consentiente Amplis. Facult. Philos.  
disputabunt*

M. NATHANAEL Fald/  
Gedanens.

et

JOH. GEORG. LEUTMANN,

Witteberg.

Seren. Sax. Elect. Alumnus.

H. L. Q. C.

d. XXIX. Febr. A. O. R. cIs Isc XXCVIII.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.





05 A 617



si  
ne  
sin  
int  
lus  
red  
sen  
tan  
cite  
se  
pra  
run  
me  
Ma  
ten  
det  
tan  
mn  
stin  
ran  
In  
act  
ten

(c)







## C. D.

### §. I.

**D**E gloriosâ Subditorum Inobedientiâ,  
h. e. in illo casu applicanda, quo subditi piè inobe-  
dientes esse malunt, quàm pati, ut quid per ipsos com-  
mittat Princeps, quod suæ & Reip. salutis adversetur,  
si dicturos nos esse in præsentiarum profiterer, bilem jure movere  
nemini Cordatorum potero. Etenim asserentes ejusmodi The-  
sin non tenebimur læsæ Majestatis crimine, ut maximè Hobbes  
inter seditionum principia hanc Doctrinam reposuerit. (a) So-  
lus ille hîc obstat, & in adversum nititur, destitutus licet omnibus  
rectè sentientibus, & fundamento, quod sublevandæ Autoris sui  
sententiæ faciat. Quid enim? credamus Hobbio, quod *Regum*  
*tantum sit discernere inter bonum & malum; unde iniqua simpli-*  
*citer audiant, quanquam quotidiana, quod ait, Voces: Regem es-*  
*se, qui rectè facit, & Regibus non esse obtemperandum, nisi justè*  
*præceperint?* Equidem quamvis is non sim, qui omnia superio-  
rum jussa examinari ab exsecutoribus subditisque deberi autu-  
met, in quam sententiam nescio an tandem non descendere etiam  
Magnus Grotius videatur: (b) Neque cum illis statuam, qui non  
teneri subditum necessariò obedire Legi, quæ sibi minus justa vi-  
detur, judicant, de quibus conf. Magnif. DN. Zieglerus; (c) at-  
tamen ex alterâ etiam parte id non concesserim Hobbio, quod o-  
mnium quæ imperantur, cognitione carere subditus debeat. Di-  
stingvenda mihi cum prudentioribus præcepta videntur, & sepa-  
randa à Moralibus, quæ ex Jure Naturali proveniunt, merè Civilia.  
In his, quoniam una Voluntas præcipientis, qui jure absoluto in  
actionibus Politicis imperat, pro regulâ actionis est, necessariò pa-  
rent subditi, nec Judicium suum interponunt, nisi forsan omne

A 2

im.

(a) *De Cive* l. 6. a. 2. (b) *L. II. de J. B. & P. c. 26. §. 4.*  
(c) *Tract. de Jur. Majest. L. 1. c. 5. §. 12.*



imperium velis hoc neglecto frustraneum efficere; sed his Civilibus si annumerare Sanctiones Naturales, quæ Justitiam non aliunde à voluntate hominum mutuantur, sed secum circumferunt, instituas, graviter omnino falleris; quicquid sit, quod & hanc The-  
 sin suam facere, unà cum Thomà, Hobbesius voluerit. (d) Imò verò rectè judicat, quin judicare etiam adstringitur Subditus de Moralibus Naturalibusque præceptis, separat ille ab illicitis concessa, à justis iniqua, ut illa faciat, & obsequii adimpleat promptitudinem, hæc omittat; eò quòd judicandi principia connata habet, & discrimen honestorum, ac turpium non frustra inseverit Natura. Quod si proinde subditis imponatur apertum scelus, quod Legi Divinæ aut communissimis Naturæ principis repugnat, quòdve manifestam secum vehit turpitudinem, quid obstat, quò minus hinc gloriosam non appellem Subditi inobedientiam? non solùm, quòd Princeps Dei Vicarius non habeat potestatem majorem principali; unde quod Jure non potest, id planè non posse intelligatur; ex quo capite subditorum *negativam*, ut appellat, *resistentiam* inter alios hinc excusat Reinkingius: (e) sed quòd ejusmodi etiam Inobedientia majori Principis commodo plerumque destinata sit, ipseque Princeps rebus ritè expensis, quod factum est, mitiorem in partem interpretaturus esset, quod observat Dn. Bechmannus, (f) qui in hoc passu exempla Lanacrii, Præsidis Parlamenti, tempore Ludovici XI. in Galliâ, ex Bodino, (g) & Sullii Ducis cum Henrico IV. Galliæ Rege agentis, de quo Perfixe, (h) placere sibi patitur. De cætero, an Subditus Obedientiæ gloriam & tum detrectare valeat, cum Princeps de indifferentibus edicit, cumque occurrunt actiones, quarum bonitatem non semper ex communibus Juris Naturæ præceptis deprehendere licet Subdito, id ipsum peculiaris considerationis argumentum est, disputatum inter Franc. de Oviedo, (i) H. Grotium, (k) & doctissimos Hujus Commentatores, DN. Zieglerum, Henningium &

(d) *de Cive* c. 14. a. 9. (e) *Bibl. Polit.* L. 2. *Axiom.* 25. § 62. (f) *Disp. de Pietate Publicâ subditorum* c. 3. §. 16. (g) *de Rep.* L. 3. c. 4. (h) *ad Ann. M. DC.* (i) *tr. 5. contr. 3. punct.* §. n. 5. (k) *L. II. de J. B. & P.* c. 26. §. 2.



& alios. (l) Nobis in hoc mari contrahenda vela sunt, ne cursus aliò, quàm instituit, egrediatur. Constitutum nempe est, in eorimari Officium Subditi, si quando turbida fata Religionem verumque Dei Cultum premunt, ipso Sufflaminatore, & ad mutanda Sacra impellente Principe, Subditi Magistratu, Gloriosam verò si hinc demonstraturos nos esse inobedientiam Subditorum dixerimus, uno mens omnis nostra verbo expressa est.

§. II. Quod ipsum autem cum facere aggredior, in limine statim circa ambiguitatem eorum, quæ Problema nostrum involvit, tantò nobis minùs laborandum esse ducimus, quò clariora omnia sunt, quæque mentem attendentis fallere non possunt. Id moneo, quod ubi de oppressâ Religione sermo est, subditorum nolim sollicitare inobedientiam, si falsa est Religio, si erronea Cultus sui Dogmata; quicquid sit, quod antiquitatem illa & firmitatem hactenus longâ consuetudine libertatem prætendant. Neque enim Religionem aliâ, quàm Divinâ antiquitate, i. e. ex eo, quod à Deo, illo antiquo dierum, ortum ducit, æstimandam esse, cum insigni Norimb. Theologo (m) crediderim. Placeat subdito, quod graviter Arnobius: *Religionis Auctoritas non est tempore æstimanda, sed Numine; nec colere, quâ die, sed quid caperis, convenit intreri.* (n)

§. III. Equidem illud non difiteor, quod gravis admodum res illa momenti sit, & quæ judicio interponendo remoram haud levem possit objicere, si ad aliena Dogmata amplectenda fides sollicitetur subditi, dubii adhuc & quid statuto opus sit, non intelligentis; Attamen cum nullum esse errorem in Capitibus Fidei adeò inevitabilem, quem non adhibita Veritatis explorandæ admicula legitima è latebris extrahant, sanioribus edocti principiis existimemus, tantùm abest, ut durare animum pertinaci suæ sententiæ tenacitate sustineam; ut, si secus fiat, ipseque renitendo mandatis sui Superioris ad meliora pellicientis, subditus cedere detrectet, non solum præter Majestatis Civilis, sed improbitatis etiam & reluctantiæ ergà Deum, eundem condemnem. Etenim culpâ suâ erroneam hoc modo habet Conscientiam, unde non potest non & actio ex principio isto, Conscientiâ nempe erroneâ culpabili,

A 3

(l) in b. l. (m) Tom. I. Dissert. p. 693. (n) L. 2. p. 94.



*bili, profecta, peccato esse contaminata, quod accuratè hic observat*  
Dn. D. Franckius. (o) Conf. etiam Rheterfortis, (p) & B. Strau-  
chius. (q)

§. IV. Sed quemadmodum hæc Theologicam respiciunt  
Conscientiæ informationem, ita nostra tamen impræsentiarum eò  
inprimis spectat sollicitudo, ut intelligat subditus, ex principiis  
Politiciis, quid licitum sibi concessumque sit, ubi ipse de Veritate  
suz Relig. convictus, ut aliam profiteatur, cogendus est. In quo  
verò argumento video me procedere rectè non posse, nisi diversa  
subditorum genera antè distinxero, quàm de obsequio aut parendi  
detrectatione in universum aliquid pronunciem. Variant enim  
hæc pro illorum diversitate; cùm non omnium subditorum una  
ratio sit, quin potiùs latitudo detur, intensio atque remissio, ut in  
omnibus civilibus, sic in subditorum statu. Sunt verò ex com-  
muni distinctione, qui de Subditorum nomine participant, vel pro-  
priè vel impropriè seu secùndum quid tales. Ubi in posteriori  
classe illos collocamus, qui extra universalem parendi conditio-  
nem positi sunt, iidemque, præter Vasallos, qui ab aliis huc pari-  
ter referuntur, in Peregrinos & Incolas dispesci solent; quorum  
illi hospites in alienâ Rep. versati, hujus nec pars sunt, nec domici-  
lium in eâ habent. Hi propiùs accedunt subditis reverà talibus,  
& domicilium habent in territorio, & plerisque commoditatibus  
Reip. utuntur, muniaque præterea civilia, quamvis non semper  
omnia, subeunt.

§. V. Quod si jam de Peregrinis primùm disquirendum  
est; quid factu iis opus sit, ubi in illis versantur Regionibus, quæ  
exercendæ Religionis non nisi cum maximo etiam vitæ pericu-  
lo potestatem faciunt, difficultatis certè plenum videtur argu-  
mentum. Equidem si scholas Pontificiorum consulam, expedita  
omnia habet, qui in hujusmodi dilabatur angustias. Potest enim  
ex sententiâ Bannis & Sanchezii (r) non privatam solùm *inter-*  
*rogantem deludere verbis ambiguis, aut aliò spectantibus, dissimu-*  
*lando propriam fidem; sed & Judici heretico ea sub jure jurando*  
in-

(o) *Specim. Controv. c. 7. p. 166.* (p) *in Exam. Armin. p.*  
*89. sq.* (q) *in Vindic. Conf. rep. p. 53. 56.* (r) *Op. Moral. P. 1.*  
*L. 2. c. 4. f. m. 94.*



*interroganti licet respondere negando, retento in jurantis mente, ita, ut teneatur illi aperire; si Azorio credimus, (s) pro hac sententiâ Doctores communiter id fatentes, & inpr. Navarrum (t) alleganti; qvò durior Sanchez absolutam negandi mentiendiqve potestatem concedere interrogato non veretur. (u) Dicam amplius: Licet etiam falsam Religionem fingere utendo ceremoniis, quibus illa utitur in suo cultu, judice Loreà; (x) licet genua flectere coram idolis ad simulandam adorationem, idqve ex consilio Adriani. (y) Licet alieno, Judaico & Muhamedano uti vestitûs tegendiqve capitis genere, secundum Busenbaumium, (z) Emanuelem Sa & alios. Fallor verò, si hoc non est negare Deum, & scandalum parere infirmo fratri, & penitus omni bonæ menti atqve fidei nuntium remittere; id quod ex Theologorum sententiâ graviter deducunt B. Calovius, (a) Frantzius, (b) Saubertus, (c) Bidenbachius, (d) Nedekennus, (e) aliqve.*

§. VI. Nobis perinde est Politicorum quorundam principiis id concedere, ut placere sibi patiantur Augustini Consilium, (f) at ille: *Disciplina, inquit, nulla est in his melior gravi prudentiq, Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunqve fortè devenerit &c.* Quod si tamen solidiori rem dirimere iudicio voluerimus; & verò liberior peregrinorum status, qui vix ad alia eorum extendit obsequium, præter observantiam consuetudinis, quæ hospites publicis conformat moribus, ne his contraveniant, & si quid agere instituerint, Leges loci observent; quo de vid. Grotius; (g) unde & non facilè nisi ex ære alieno vel crimine aliquo publico hospitum sententiæ subji-  
ciuntur; quod si, inquam, liberior illa peregrinorum conditio non permiserit, quo minus ipsi conformes sese reddere populi hetero-

(s) C. 27. pag. 2. (t) L. 5. Consil. tit. de haret. in 1. edit. Consil. 15. n. 2. in 2. Consil. 10. n. 5. (u) l. c. (x) in 2. 2. qu. 6. Disp. 24. n. 4. (y) tit. Sancti. l. c. (z) Theol. Moral. L. 2. Tract. 1. c. 3. (a) contra Latern. in erbärm. Verstockung p. 92. (b) Disp. XI. in A. C. Thes. 177. (c) im geistl. Praservativ. (d) in Consil. Theol. dec. 3. Conf. 3. & Dec. 5. Conf. 1. 4. 5. 6. (e) in Thes. Consil. P. 1. Vol. 1. pag. 247. n. 12. it. Vol. 2. sect. 7. p. 157. seqq. (f) ad Januar. Ep. 118. (g) L. 2. c. 11. n. 5.



terodoxi institutis, ad cultum Dei pertinentibus opus habeant, non certè video, quæ alia ipsis relicta facultas sit, quàm è Civitate iterum discedendi, sequè subducendi illius Jurisdictioni.

§. VII. Quo nomine autem Incolarum tantò redditur difficilius in hac rerum angustiâ Consilium: Obtemperant adhuc illi quoad obsequia civilia majori obligatione Superioribus, & exiguo ferè discrimine à veris subditis separantur. Quid, quod Leges Regionum durioribus sæpe illos, quàm Cives genuinos, jugis premunt, idque tantò magis, quò pluribus ipsi destituuntur immunitatibus, quibus fruuntur Civitatì adscripti, in Politis maxime. Nescio verò, annon his pensulatis in eas cogitationes facilè adduci me patiar, ut existimem, non aliam Incolis his incundam viam esse, si de Religione suâ hætenus liberâ sollicitari incipiant, quàm quæ subditis, in quos plenum imperii Jus exercet Imperans, concessum est: Id saltem ex prudentiæ lege, ut Peregrinis, ita Incolis observandum sedulò crediderim; videant ipsi, antequàm habitandù in alieno territorio concesserint, quò apud illius Magistratum tuto Privilegii jure maniantur, cujus deinde vigore salvis ipsis absque Religionis occultatione, cum subditis esse unà, liceat: si nihil obtinuerint, in suis rebus opibusque acquiescant, veriti, ne Conscientiæ subire læsionem *αιγονεγδιαι* alicujus gratiâ cogantur.

§. VIII. Deceterò, quod ad Vasallos attinet, res hæc expedita magis & facilior videtur. Etenim cum illi non nisi solâ feudi recognitione Domini investientis jurisdictioni subjiciantur, & Vasallagii etiam Jus tantum intra fidelitatis terminos se contineat; vid. Speidelius. (h) utique ad alia præstanda, quàm quæ in causis feudum tangentibus requiruntur, obligari nequeunt, tantùm abest, ut Religionis etiam subire determinationem cogendi sint. Ex quo capite, an etiam Protestantes Principes, qui Carolo V. Missaticum Sacrificium sua autoritate & præsentia statuminaturo adesse ad mandatum Imperatoris olim detrectarunt, (quo de conf. Coelest. (i)) defendi jure possint, id aliorum relinquimus arbitrationi.

§. IX. Sed

(b) *in Comp. Jur. Polit. Voce Unterschannen. (i) T. I. Hist. Comit. Aug. p. m. 82. seq.*



§. IX. Sed mittamus temporarios illos & partiales subditos, & quid veris proprièq; dictis, qui in conditione parendi positi, Domino suo & corpore & rebus obligati sunt, quemadmodum describi solent, conveniat, studiosius aliquantò consideremus. Horum sanè obsequium ex certioribus fundamentis & indubitatis principiis deduci potest, nec opus habemus aut consuevimus illud ad particulares, voluntarias & mutabiles Civitatum singularum sanctiones expendere. Quousque autem id ipsum se extendat, aliquà jam tum sui parte dictum à nobis initio est. Id observo, quod pertinet pariter ad Officium subditi in causâ imperatæ Religionis, quòd, cum omnis obligatio nascatur ex potestate Superioris, limites etiam Obedientiæ à Subdito requisitæ, ulterius porrigi nequeant, quam quò potestas Majestatis. Jam certum illud hæcenus inter cordatioris est, dari actus, qui non sint jure imperabiles summæ inter homines potestati, quin eos extra Imperii Jus esse, qui Naturali aut alteri cuivis Divino Juri repugnant; non, quòd existimem, definitas Jure Divino & Naturali actiones nullum planè admittere humanum Imperium; scio enim & intelligo, quod in his etiam directrix quædam facultas Majestati competat, quatenus pro Lege Divinâ & circa illam operatur. Conf. Henniges. (k) Sed non admittunt Imperiû actiones definitæ contra se. *Imperia namq; cum Magnif. Du. Zieglero loquor, quæ directè Divino Imperio contraeunt, aut fidem à Deo præscriptam violant, obligationem parere nequeunt.* (l) Etenim sicut in Naturalibus cause inferiores in agendo à superioribus dependentes contra superiorum efficaciam vim agendi non habent, ita etiam in Moralibus, judice Grotio, (m) Conf. quæ superius in eundem sensum ex Reinking. adduximus. Optimè Augustinus: *Si aliquid jusserit Curator, non faciendum est? non tamen, si Pro-Consul jubeat: Non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Rursus, si ipse aliquid jusserit Pro-Consul, aliud jubeat Imperator, numquid dabitur illo contempto illi esse serviendum? Ergò si aliud Imperator, aliud jubeat Deus, quid judicatur? Major potestas Deus, da veniam o Imperator.* (n)

B

§. X.

(k) De summâ Imper. Rom. potestate circa Sacra p. 110. sq.  
 (l) de Juribus Maj. L. 1. c. 14. §. 11. (m) de Imperio summarum potest. circa Sacra p. 44. sq. (n) Serm. 6. de Verb. Dom.



§. X. Proinde haecenus quidem detractabunt obsequium subditi, si mandata acceperint genuinum sacri Numinis cultum interruptura, *contemnent illi potestatem, timendo potestatem*, dicente iterum Augustino. (o) *Præstat enim Deum habere propitium, quàm mundum benevolum, sive in carcere sis cum Johanne & Josepho, s. in lacu cum Jeremiâ, sive in fornace cum tribus Viris, sive in medio Leonum cum Daniele, sive in vinculis cum Petro, sive inter manus carnificis cum Stephano; quod graviter differit B. Meisnerus. (p) Conf. Lutherus. (q) Quinimò rectè negatur obsequium, uti præstitisse crimen est. Non imperata jure, nec jus exsequi, respondet Antigonus Creonti ap. Euripidem (r) Et Musonium ex Stobæo citat Grotius. Si quis aut Patri aut Magistratui aut Domino turpia aut iniqua facta imperanti non parat, is nec inobediens est, nec injuriam facit, nec peccat. Idem Gellium laudat, negantem, probam esse sententiam; omnia esse, quæ Pater jufferit, parendum. (s)*

§. XI. Quod tamen cum dico, velim diligenter distingvatur inter Imperii actum, qui subditum ad agendum movet, & inter vim, quæ eo nomine alicui intentatur, quæque subdito patiendi aliquid necessitatem imponit. Careat licet actus imperii suâ obligatione, vis tamen ab illo profecta irrita non est, sed effectum habet Moralem æque atque Physicum, quo fit, ut vim illam vi repellere non liceat. Neque enim quod impia mandata dedit summa Potestas, propterea omni privanda imperio est, omni que solviffe vinculo obligationem subditi credenda; Quò semel admisso, actum esset de optima causâ omnium, qui contra Boucherium, Buchananum, personatum Junium Brutum, Marianam, Miltonum, & Monarchomachos omnes, depugnant. Distinctæ adhuc sunt parentium atque imperantium functiones; has confunde, & incondita quædam Cyclopum multitudo orietur, ubi *ἀνδρα γένει γένει δδωδς*. Nondum in hoc casu vigorem suum amisit pristina olim, si quæ fuit, eorum, qui Civitatem constituebant, consensus, ut apud quos rerum summa esset, illi non tantum supremâ jubendi vetandique potestate pollerent, sed & sacrosancti essent, & ab omni injuriâ defensi. Adde, quod *obligent humana imperia ad omnia,*

(o) l. c. (p) Hom. 3. Dom. Adv. Doctr. 1. (q) T. II. Altenb. p. 268. (r) in Phœnissis. (s) de J. B. & P. L. II. c. 26. §. 3. & 7.



*qua injusta non sunt, injustum autem non est, à resistendo abstinere, quod hinc rursus observat Grotius. (t)*

§. XII. Itaque si imperans jussit, quod Deus vetuit, quod sanæ Doctrinæ derogat, cave ut moveare. Si minis facta respondent, cave ut resistas. Patientiæ hinc clypeo opus est, non gladio. Quia potius imitentur subditi Christiani piæ antiquitatis in nascenti Ecclesiâ exemplum, cujus nomine Nazianzenus: *Aliud, præter effusas lacrymas contra persecutorem non fuisse remedium testatur. (u)* Coactus repugnare non novi, inquit Ambrosius, *dolere potero, flere potero, gemere potero, aliter nec debeo nec possum resistere.* Id quod argumentum tantò majus habere mihi pondus videtur, quò auctiorem sæpe viribus Ecclesiâ Christianam habuerunt prisca Ethnicorum Imperatorum secula; ut metuenda Christianorum haud rarò multitudo fuerit, si alienum, quàm suum sanguinem fundere maluissent. Unde & Tertullianus ad Imperatores; *Si hostes, inquit, & apertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum, solâ vobis relinquimus Tempia. Cui bello non idonei, non prompti fuissetis, etiam copiis impares, quitam lubenter trucidamur, si non apud istam Disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere?* Et Cyrillus testis ejusdem est Patientiæ: *Inde est, ait, quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimis & copiosus noster sit populus, ulciscitur.* De cætero quantum in illis erat, precibus Christiani agebant ad Deum fufis, simulatque supplicando mitigare Superiorum acerba consilia iteratis vicibus conabantur.

§. XIII. Quo nomine non possum non laudare, si ad nostra etiam tempora propiùs devenio, pietatem Convallensium, populi agrestis & miseri, de quibus historiam prolixè narrat Thuanus. (w) Etenim cum à Principe suo ob Religionis cultum omnis generis crudelitate exerciti fuissent, primùm Ducem per omnia Divina humanaque orant, fideles subditos clementiâ suâ respiceret, & quibus Coeli locorumque ferè inhumanus situs vix ad victum & culeum corporis necessarium alimenta, eaque agrestia & incondita suppeditet, ne etiam verâ Religione eos privare, conscientiasque ad a-

B 2

lie-

(t) *de Imp. S. P. p. 46.* (u) *Orat. in Julian.* (w) *Histor. L. 27.*



liena cogere sacra vellet. Cùm nihil impetratum esset, coacto consilio in id omnes consensere: Vitam non esse armis adversus Principem defendendam, verùm a sportatis bonis, quæ commodè possent, in proximos montes secedendum, nihil aliorum Pastorum sententias morati, qui existimabant, licere in tanto discrimine hostium imperum repellere, præsertim cùm nequaquam contra Principem, sed adversus Pontificem, qui Principis opibus abutatur, arma caperent. Non multò post iterum Legatos mittunt, qui libello supplice exhibito Conscientiarum libertatem, quàm demissè possent, peterent, & in cæteris omne obsequium ac fidem pollicerentur.

§. XIV. Insigne profectò obsequiosi animi & patientiæ, quæ Christianos subditos deceat, exemplum! At vellem illos in his substituisse limitibus, & gloriam mereri à cordatioribus impunè ipsis licuisset. Neque enim hætenus erat, quod dignum reprehensione commissum foret; Fugam namque in magis tuta loca tantùm abest, ut improbare possimus, ut parili viâ svaderem omnes sibi consulerent, quibus navigandum in eodem persecutionum Oceano est. Valeat hæc sententia Tertulliani, qui fugam improbare in hoc passu non dubitavit olim, meliori quamvis animo, quod opinamur, quàm quo Athanasio insultarunt Leontius Antiochenus, Narcissus Neronopolitanus, Georg. Laödicensis, aliiqve; quamvis ipsum etiam Tertullianum hæc correxerint Patres, tanquam Scriptorem jam tum Montani erroribus infectum. Unde *adversus Ecclesiam Textum esse* scribit Hieronymus. (x) Nobis certum est, rectè defugi acerbiter persecutionis, ut tæchioribus te servare temporibus & ulteriori Dei ministerio possis; *Fugiunt*, ait Beda, *non timendo passionem, sed declinando, ut tribulationis occasione seminarium fieret Evangelii.* (y) *ἠφυλάττοντο ὡς περὶ ἰατροὶ τῶν δεομένων χάριν*, verba sunt Athanasii. (z) Addo, *fugiunt*, ne quæ temeritate Deum tentent, quam rationem in primis etiam urget Athanasius. (a) *Fugiunt meticulosi, ne cùm non secesserint, ipsi cadant, negaturi remaneant*, dicente Cypriano. (b) *Fugiunt*, cùm mansio sæpe sine careat; (Conf. verba Honorati ap. August. (c)) *Paucis: fugiunt tanquam juri non voluntario tantùm seu positivo, Sed Naturæ ac Divino obtemperaturi; (quod rectè censet Corn. à Lapide (d)) quia naturale est*

(x) de Script. Eccl. (y) in Matth. 10-23. (z) Apol. 1. de fugâ. (a) l. c. (b) de lapsis (c) Epist. 108. (d) in Matth. 10-23.



est, salutē suā temerē non negligere; & quia persecutio instat morbi Epidemici est, quem fugere licet; quo argumento utitur Tostatus. (e)

§. XV. Sic ergo, ut ē diverticulo in viam regrediamur, in fugā ipsā & secessu populi Sabaudici nihil erat, quod reprehensionem incurreret, nihil quod non laudari cæteris paribus in omnibus iis possit, qui his afflictionum premuntur generibus; at quid de eo dicam, quod iidem Convallenses, cum Legati re infecta discessissent à Principe, abjecta demum omni æquarum conditionum spe tandem decreverint, Religionem in posterum armis tuendam & propugnandam esse? Id quod nec sine suo caruit, quando numerofo hostili exercitu multis locis damno affecto suam sibi restituerunt illi pristinam libertatem.

§. XVI. Equidem non nescio, quod ab aliis haud ex uno capite ille armorum conatus defendi soleat; id enim iniquum existimant esse postulatum, quod, si Princeps sordidis moribus divinum characterem inquinat, & ad vitia Tyrannica, quale quid in hoc passu fieri dubium non sit, dilabatur, & tum subditi vim opponere vi non potis esse debeant, cum tamen vitiis indulgens Princeps Deo sit infestus, tantum abest, ut hujus gerat personam. Sed verò poneretur in plano, arduum hoc negotium, si subditis aliqua Jurisdiclio concessa foret, aut Tyrannidem possemus separare ipsā re à Majestate. At cum Tyrannus potestatem à Deo habeat, crudelitatem & reliqua scelera ex suo adjungat, aliter hinc non sine causa statuendum arbitramur; Conf. Augustinus. (f) Imò verò læde Tyrannidem, & salva manere Majestas non poterit.

§. XVII. Sed dicis: Accidat, ut Tyrannus egregiam multitudinis partem ob Religionis diversitatem excidio destinet; difficile profectò sit, ad tam immanem crudelitatem indurare animum; quin saltem hic liceat, non quidem personam Tyranni, sed ejus ministros, horrendiqve mandati executores aggredi; continere sese illi ab executione impii præcepti debebant, ad quod Imperans eosdem non poterat obligare; cogitare debebant, eos, qui Aularum flagitiis & Principum sceleribus instrumenta se præbent, nec ipsis, quibus infandum addixere ministerium, gratos esse, ut habet Tacitus. (g) In defensionis igitur statu quidni hinc vivere, frustra tentatis mitioribus viis omnibus, concessum subdito sit, solum ut tutelam sui habeat, justam, in casu inevitabilis neces-

B 3

sita-

(e) in Matth. 10. qv. 110. (f) L. 5. de Civ. Dei c. 21. (g) Annal. L. 14. c. 62.



(b) *Comm. in*  
*Grot. L. 1.*  
*c. 4. §. 7.*

(i) *in Disp. de*  
*Sanctitate*  
*Principis ib.*  
*21.*

(k) *c. 3. de*  
*Imp. S. P. c.*  
*sacra.*

(l) *Hist. L.*  
*24.*

litatis. Enimverò non ausim tamen hoc asserere, (verbis libenter utor Magnif. Dni. Ziegleri) non enim fingi potest legitima vocatio subditorum ad capienda arma contra supremum Magistratum, cum nulli mortalium jurisdictio competat in talem Magistratum. (h) Competeret verò, si in Ministros etiam Magistratus gravius aliquid statuere concessu foret. Neglectus deinde officii & conscientiae in milite nihil huc facit; neque enim ille militem è statu servi eximit, neque potestatem statim dare afflicto potest, quò minus ipse patientis conditione se contineat, ubi vis illata à Superiore est. Ne dicam, quod fortè alis hic placeat; Militem de statutis jussibusque sui Principis satis tutò vix judicare posse, cum praesumptio in casu dubio militet pro Imperante. Nullum ergò hinc defensionis Jus fingi vel cogitari potest, quod inter eos subsistit proprie, quibus aequalitatis respectus intercedit, non quos Majestatis culmen (quo nomine hinc miles agit, quicquid agit) & parendi fors longissimo intervallo distinxit. Verbo: *Non resistere Principi est indubitati Praecepti Divini; defendere se contra injustam vim fovadet natura & concedit; In horum duorum concursu tutior pars est eligenda. Tutior procul dubio est, sequi indubitatum Dei praecceptum, quam cum ejusdem neglectu facere id, quod natura permittit, arbitro Excell. DN. Röhrensee / Patrono & Praeceptore nostro devotè venerando.* (i) *Optimum enim semper, obedire ita, ut cogitemus, nos esse obligatos, non quidem ad male agendum, interim tamen ad non resistendum Majestati, quod rectè monet Grotius.* (k)  
§. XVIII. Quibus omnibus ritè observatis, annon dubio etiam illo, quo Tutoribus tamen Principis minorennis, illis, commissa potestate ad libidines suas & Relig. quandoque perniciem abutentibus, (quod obiectum inpr. in Gallià tempore Francisci II. refer. Thuano (l)) resisti etiam armis posse à nonnullis creditur, facilius queat satisfieri, & in tutiorem partem res decidi, nunc non edissero prolixius. Illud fortassè superat, quod armorum susceptam vim contra Imperantem fulciat; si pactis ipse & conventionibus de Relig. inpr. libertate initis, firmatisque saepe & Juramenti obligatione, non steterit. Mallem hinc modestè suspendere Judicium, cum in quaestione verser, quæ Viros graves & eruditos, addè & integras Gentes in utramque partem sollicitas habuit. Aliorum tamen placita referam. Aristi, non pendere à pacto dicunt subditi obsequium, sed ab Imperio Principis, quod



quod perjurio non extingvitur? Obligatur subditus ad paren-  
dum, non quia juravit Princeps, sed quia imperium habet: quid,  
quod jurisjurandi Religione non tam populo obligetur, quam  
Deo. Et quamvis ad servanda pacta Princeps in conscientia fir-  
miter teneatur, (quicquid etiam sentiat Florentinus Doctor,  
(m)) ad obligationis tamen complementum actione exteriori  
cogi nequit. *Impune fidem non servari Domino fidem non ser-  
vanti*, periculosè asseritur. Quamdiu Dominus est, obsequium  
præstandum erit, & manet Dominus, licet pactis non steterit.  
Conf. Hornius. (n)

§. XIX. Verum enimverò, ut caput causæ tangam, ante  
omnia respectus mihi habendus videtur Reipublicæ, cui casu i-  
stiusmodi conflictandum est. In Monarchiâ absolutâ versanti  
subdito vix ac ne vix quidem, in hac parte aliquid conceditur,  
quod Principis lædere Potestatem valeat. Id parum movet, quod  
nonnulli sibi persuadent, in tanta rerum necessitate omne in in-  
ferioribus Magistratibus collocatum esse præsidium; quia non  
solum Magistratûs habere potestatem resistendi Regibus, sed &  
Leges Senatûsque, quod apertè fatetur Miltonus, illis superio-  
res esse. Imò verò facilis irem in sententiam, si comprobatum il-  
lud foret, inferiori Magistratui in Principem, saltem malè, nec  
ex officio agentem, aliquid juris esse; id quod verò tantum abest, ut  
demonstrari solidè posse existimem, ut potius non aliam hinc esse eo-  
rum conditionem, qui ejusmodi funguntur Magistratibus, atque  
quorumvis subditorum certissimè arbitrer. Sanè Grotio hæc sen-  
tentia contra S. literas, contra rectam rationem, contra piæ An-  
tiquitatis sententiam, depugnare visa est. (o) Et placet oppi-  
dò celeberrimi DNI. Ziegleri nostri Judicium; quod, quemad-  
modum in Logicis subalterna genera duplicem inferunt habitu-  
dinem, ut genera dicantur resp. inferiorum, species autem subji-  
cibiles resp. generum, impr. supremi, supra quod aliud non datur;  
ita & in Rebusp. res habeat, ubi Magistratûs suâ quidem delega-  
ta Potestate pollent, obligante ad obsequium privatos subditos,  
ipsi verò semper supremæ Potestati non aliter atque privati sub-  
jiciantur. (p) Addo & hoc: Sicut in domo servus potestate  
eâ, quam in inferiores servos accepit à Domino, abuti nequit  
contra Dominum, ita Magistratui, licet maximo, infra Regem ta-  
men posito, nulla adversus Regem conceditur animadversio.

§. XX.

(m) L. 2.  
Comm. c. 13.  
& de Prin-  
cipe c. 19.  
(n) de Civit.  
L. 2. c. 10. §.  
11. sqq.

(o) de Imp.  
S. P. & c. p.  
47.

(p) Ziegl. de  
Jur. Maj. L.  
1. c. 23. p. 549.  
sq. & Com-  
ment. in  
Grot. L. 1. c.  
4. §. 6.



§. XX. Enimverò id, quemadmodum de Aristocratico Regimine, quod ad modum Regni secundum administrationis similitudinem constituitur, planè non procedit, ita in mixtis Rebusp. quamvis ad instar Monarchiæ concinnatis, longè etiam aliam rationem obtinere, lubens concesserim. Ubi enim Princeps non est Majestatis integræ, sed Status Regni simul in Imperii confortium admissi sunt; (Statuum autem nomine appello, qui ad publicas de statu publico deliberationes admittuntur, & sine quorum consensu in causis Remp. spectantibus nihil decidi potest) hîc, quin infringi etiam armis Tyrannica in Religionem sæviendi libido possit, nullus dubitavero. Neque enim huic Imperanti summum in eos Jus competit, cum quibus Jura Majestatis, quasi inter socios, divisa habet; neque obsequium solus merebitur, cum Jura Majestatis ut exerceantur, plurium exigere suffragia necessum sit. Quod si proinde nihilominus novi quid introducere sustinuerit Princeps, quod Religionis etiam curam turbet, (cujus Jus inter Regalia Majora, eaq; communia Imperatori atq; Statibus, in Imperio Rom. referri solet, ) idem sibi imputare habebit, si Optimatum deinde arma justis de causis elicitâ provocaverit, tanquam eorum, qui non Principis sed *Dei Gratiâ* imperitare sese profitentur, iidemq; pariter Jus Advocatiæ in Ecclesiis, Episcopatibus, Abbatiis & Cænobiis, suis in territoriis sitis, dudum quæsitum justèq; possessum habent.

§. XXI. Quantumvis velim & hîc defensionis propriæ & conservandæ Pacis publicæ potior quàm oppugnationis alienæ ratio habeatur, eò quòd tantò magis necessaria & concessa est Statui Imperii propria defensio, quò arctiori idè obligatione subditis suis de impunè servandâ Religionis etiam incolumitate obstringitur. Cui fini obtinendo si Fœdera etiam deinceps ineantur à Regni Statibus, facilior & horum fuerit admissio, invidiosa aliàs, & quæ nociturum Principi Summo animû prodere haud ratò videantur. Sed cum hâc de re jamtum à tempore fœderis & belli Smalcaldici inter Andr. de Iferniâ, Schurffium, Mynfingerum, Qvettam, Julium Pflugium, Melanchtonem, Waremundum de Ehrenbergk, Joh. Pedium Tettingerum, & Interpretem des *Reinicken Fuchses* / Ludovicum Dietzium, aliosq;, disputatum prolixè fuerit, neq; nobis argumentum theseos transferre nunc ad hypothesin constitutam sit, finem hîc dicendi facimus.



05 A 677

ULB Halle

3


003 761 789











Q. D. B. V.

De eo, quod licitum  
est Subditis in causâ op-  
pressæ Religionis,

EX POLITICIS,

*Consentiente Amplisf. Facult. Philos.  
disputabunt*

M. NATHANAEL Faldt/  
Gedanens.

et  
JOH. GEORG. LEUTMANN,

Witteberg,  
Seren. Sax. Elect. Alumnus.

H. L. Q. C.

*d. XXIX. Febr. A. O. R. cIsIsc XXCVIII.*



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.